

.lxii. ITEM ALIA DE APOSTOLIS .

Huic tam pulchrae solemnitati . concordat et con  
celebrat duodénus apostolorum numerus . quos a primis  
miraculorum uirtutibus ad componendum nóuae fidei  
fundamentum ; erigendúmque adhuc teneris statum  
aecclesię . prouidentia diuina ex omnibus quos capiebat  
mundus elegit . ut in omnem terram sonus eorum predicatio  
nis exiret . et in fines orbis terrae eorum procederent uerba .  
Quibus ipse dominus locutus est dicens . Vos estis lux mun  
di . Et iterum . Sic luceat lux uestra coram hominibus  
ut uideant opera uestra bona . et glorificent patrem  
uestrum qui in cęlis est . Et iterum . Iam non dicam uos ser  
uos . quia seruus nescit quid faciat dominus eius . Vos autem  
dixi amicos . quia omnia quecumque audiui a patre  
meo nota feci uobis . Et quodcumque ligare uoluissent super  
terram . ligatum esse in caelis ; Et quodcumque soluerent  
super terram . solutum in caelis esse promisit . Et iterum .  
Cum uenisset ad iudicandum seculum . eos super sedes duó-  
decim esse sessúros . et secum iudicaturos orbem terre  
predixit . Horum ut crédimus patrociniis . haec dies  
subiecta declaratur et meritis ; Largiente domino nostro iesu  
christo . qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat . in secula  
seculorum ameN .